Refert apostolus quomodo per unius hominis peccatum totus mundus in condemnatione positus. et per unum hominem Iesum Christum iterum liberatus ut in praesenti lectione audistis. sic per unius delictum omnes homines in condemnatione. sic et per unius iustitiam omnes homines in iustificatione uitae. Adam enim peccato praeuaricationis suae. totum mundum maledictioni et condempnationi subiecit. sed Christus sanguinis sui effusione totum mundum a maledictione eripuit. et dedit per baptismum ac fidem in deum. omnem hominem posse iustificari. et ab aeternae mortis maledictione liberari. O quanta misericordia conditoris nostri est. quod nos sponte per culpam subiecimus maledictioni et condempnationi. Christus autem dei filius ad liberandos nos ab eadem damnatione. Nullis nostris praecedentibus meritis. sed sola gratuita misericordia sua uenit in hunc mundum. deleuit cyrographum maledictionis nostrae sua propria passione et morte nobis quae aeternae mortis perniciem euadendi aditum patefecit. et uiam ad regna caelestia praeparauit. et non solum hoc sed et praemia nobis promisit beatitudinis sempiternae. tantum ut praeceptis eius oboediamus et uoluntatem ipsius faciamus. Adhaerentes ei in operibus bonis. ipsius sedulo cogitemus et studeamus exempla sectari. morientes mundo et concupiscentiis eius. ut mereamur in aeternum regnare cum illo. Sic enim per inoboedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi. ita et per unius oboeditionem iusti constituentur multi. sic exemplo inoboedientiae adae omnes peccauerunt. et indiguerunt magnae miserationis domini ut liberarentur. ita et per hoc quod oboediens erat patris uoluntati usque ad mortem. mortem autem crucis; Omnibus sibi credere uolentibus iustificationem dedit. si praeceptis eius tantum oboedire uoluerint. Grandis ualde culpa inoboedientiae. qua tantos occidit. sed maior remedium oboedientiae. per quam omnes liberantur. Lex autem subintrauit ut abundaret delictum. lex enim ueteris testamenti non dimittere peccata data est. sed demonstrare. ideo quia scienter peccauerunt legem habentes superhabundauit in illis peccatum non uitio legis sed eorum qui legem obseruare nolebant. ubi habundauit peccatum superabundauit et gratia. ubi ostendit nullius tantum esse posse peccatum quod siue

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc427/0182